



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiae & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

Comitin, César Jean-Baptiste

Coloniae, 1709

§.3. Finis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50773)

dictam, oculus impudico, lingua blasphemio. Nam sicuti sine Deo Deus coli nequit; ita neque sine Deo Deus offendi: & ille quidem libertati tuæ serviens & in utrumque paratus mavult se lædi, quàm te, bonus bono tuo & bene; at tu deteriora secutus, malo tuo malus & malè in transversa ruis. Et quousque tandem, ô mortalium ingratisime? Unde vel tantum amoris in Domino, vel tantum furoris in servo? nonne (si fas ita loqui de Deo) uterque monstrum est, ille clementiæ, tu nequitia? Proh scelus! etiam abuteris Deo, sacrilegiòque vel invitum & reluctantem immisces tuo. Quo fine miser, aut quâ spe? sed utcumque tibi cadat, ego meam in rem intentus, alterum è duobus optandum à Deo reor, aut ut amorem adaugeat meum, aut ut amorem diminuat suum.

§. 3. *Finis.*

Hactenus de principio, nunc de FINÈ dicendum est: quæ si non est alia quàm hæc vita murium atque muscarum; de tot elatis in hoc orbe montibus idem pronuntio quod olim: *Parturient montes; nascetur ridiculus mus.* Verùm aspirante Deo primis postrema respondent. *Finis, inquit, ut sit De-*

us omnia in omnibus. Nempe summi boni possessione tantâ, fiat ut homo quodammodo Deus. Nam & utrique par imperium est in cælo, eadem beatitudo, & ut inter amicos, *omnia communia.* Denique uti Deus regnat hîc in nobis; ita nos illic in Deo. *Fecit nos Deo nostro regnum, & regnabimus.* En quousque sese exporrigit amor! Hic finè fine finis. *Animi enim finis,* ut Marfilius sanxit, *infinitum.*

Ergò Rex ille summus de pulvere erigens pauperem in palatium abducit suum: ibi regio instructum apparatu fovet nutritque; ibi hæredem instituit ex asse, capitique coronam imponit, quam se ipsum, divisum imperium cum Deo servus habet. Proh Superi! quis audivit unquam talia? ergòne limosus ille, prodigus ille, ad siliquas hodie damnatus, cras in folio Dei, par Angelis, par ipsi Deo? heu me! non plus ultra. *Neque enim in cor hominis ascendit id omne, quod præparavit Deus diligentibus se.* At nos miserit tanto patrimonio dignati, in siliquas adhuc porcorum vigiles ac proni incumbimus; atque, ut ille prophanus Esau, primogenita vendimus *lente* nos quidem, at non *lenti.* Ruimus enim præcipites in vitium ac planè effrænes.

Ve-

Verum age tu mecum aut tecum in hanc rem tantisper disputa. Responde mihi, quæ norma vitæ, quæ mensura rerum est? nõne finis? certè finis omnium caput est, & ut posthumer effectum, (verba sunt Tertulliani) *ordine tamen anticipat*; quem propterea vocat Philosophus *causa causarum*. Ergo collimare ac quodammodo vergere illuc omnia necesse est; cum sit scopus. Jam verò de Deone dubitas an sit finis necne? At id te omnia docent. Docet erecta cælo facies atque sublimis. Docet immortalitas animæ tuæ; spes & metus. Docet instabilitas quoque cordis tui, atque in ceteris omnibus rebus anxietatis mentis inquietudo jugis ac inolita. Docet id demum ratio atque fides, lex atque oracula Prophetarum. Id ipsum & mundus. Eunt enim in orbem universa, & illuc desinunt, ubi cæpère. *Idem est etiam finis*, ut vult Philosophus, *operis & operantis*.

Ille igitur alpha & omega; ille finis qui & principium. Atqui in finem nituntur omnia; ergò in Deum qui finis est. *Hoc est omnis homo; & sine hoc*, inquit Bernardus, *nullus est homo*. Quoniam igitur in avia præceps amensque ruis, ô mortalis? Ubi portus? ubi tibi quies nisi in Deo? cui denique foris? Ec.

ce si Deum amas, Deus es ; si terram, terra.
Proponitur hinc cæli corona , inde terra-
rum; tu medius. Opta, curre, ambi. Alter-
utrum conceditur. Imò utrumque, si Dei es.
Utroque Rex & Casar, & celo & solo. Quid
amplius desideras ? habes aliquid melius
Deo, aut carius teipso ? nondum rem exegi.
Ecce medius es inter coronam & gehen-
nam. *Æternitas utrobique.* Ibi vita sempi-
terna, hîc mors. Opta rursus, curre, ambi.
Alterum finis est, alterum præcipitium : cui
te voves ? cui mundum ? nam & mundus, ut
tu, totus es Dei; quem si suo fini refers, vivis,
ut in templo Dei, præsul antistêsque totius
mundi, *Orbem terrarum in podère* repræsen-
tas. (*Sap. 18.*) Sin alteri usurpas invito do-
mino, fur es & prædo. Quanto peculatu?
numera res omnes, & computum inibis. In-
felicissime, *quid dices cum visitaverit te Do-*
minus ? (Jerem. 13.) Si de verbo otio ratio
reddenda est, proh' qualem redditurus es de
mundo non otioso tantùm, sed injustè, sed
sacrilegè usurpato ? Væ, væ tibi, væ & mihi,
nisi Deo vivimus. Intellico nunc cur dictum
sit : *Pugnabit orbis terrarum contra insensa-*
tos; (Sap. 5.) & rursus (Rom. 8.) Creatura in-
gemiscit, & parturit usque adhuc. Quid par-
tu-

turrit? vindicias actionemque de REPETUNDIS. Nunc quidem clamare non audet *vanitati subiecta non volens*; ingemiscit tamen expectans tempus illud *restitutionis omnium*. O tempus! ô restitutionem, sed seram, & ex quâ sequitur destitutio omnium!

§. 4. *Incarnatio.*

Finem media consequuntur, majora fine. Aureo enim, ut ajunt, piscatus est hamo. Opipigneravit pro seruo filium, pro extraneo seipsum, plus dedit quàm promisit. In summâ, ut homo fieret Deus, miraculo longè majore factus est Deus homo. Miscentur itaque ima summis. *Magus in terrâ calum videt, in calo terram; hominem in Deo, in homine Deum.* [Chrysologus.] Fit eadem & virgo & mater; idem & creator & creatura, causa suiipsum. Denique *cogit se in infantem Deus*, [S. Zeno.] in seruum dominus, in reum Judex: principium habet in tempore æternus, finem infinitus, mortem immortalis, modum immensus, membra mea, misericordiam meam misericors deus. *Dum medium*, inquit, *silentium tenerent omnia*, nimirum præ tanti stupore sacramenti, *omnipotens sermo tuus à regalibus sedibus venit*. Qualis autem & unde? & quò? à præsepî ad crucem.